

B. M. II, 174.  
h. 49, 20.

II K  
2886

DEO DUCE AC PRÆSIDIO  
EX  
SENSU ATQUE AUTORITATE  
MAGNIFICI ET INCLUTI  
JURECONSULTORUM  
ORDINIS  
IN  
ILLUSTRI LUDOVICIANA  
UNIVERSITATE,  
DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
DE  
SIGNO PACIS  
Bon  
Dem Burg-Frieden/  
PRO CONSEQUENDIS SUMMIS IN  
UTROQUE JURE HONORIBUS, ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS RITE CAPESSENDIS,  
SOLENNI AC PUBLICO VENERAN-  
DORUM ACADEMIÆ PROCERUM  
EXAMINI SUBMITTIT,  
Ad d. V l. Septembr. Ann. MDCXCIV.  
GEORGIUS NICOLAUS APPOLD,  
Onoldo Francus.

---

GISSÆ HASSORUM,  
Typis CHRISTOPH. HERMANNI KARGERI, Acad. Typ. Ord.  
*de Signo pacis Vol. IX. 39.*





SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
GEORGIO  
FRIDERICO,  
MARCHIONI BRAN-  
DENBURGENSI, MAG-  
DEBURGI, PORUSSIAE, STE-  
TINI, POMERANIAE, CASSUBIAE  
AC VANDALIAE, INQUE SILESIA, CROSNAE  
ET SCHWIBBUSSAE DUCI, BURGGRAVIO  
NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBER-  
STADII, MINDAE ET CAMINI,  
COMITI  
IN  
HOHENZOLLERN, &c.

)( 2

PATRIAE



PATRIÆ PATRI PIO,  
FELICI,  
EXOPTATISSIMO,

CUJUS

VIRTUTES TANTO PRINCIPE  
DIGNAS

*PRVDENTIAM IN PRIMIS,  
QVA SVPERAT SENES,*

AC

SUMMAM IN REBUS AGEN-  
DIS DEXTERITATEM

*IMPERATOR PROBAT,  
PRINCIPES MIRANTVR,  
SVBDITI VENERANTVR,  
EXTERI POPVLI*

EXQUISITISSIMIS LAUDUM TITULIS  
VEHUNT:

PRIN-

PRINCIPI  
AC DOMINO MEO  
CLEMENTISSIMO,  
A  
SUMMO BONITATIS FONTE  
DEO OPTIMO MAXIMO  
VITAM PROLIXAM,  
REGIMEN, QVOD NVPER SVSCE-  
PIT, SECVRVVM,  
POPVLVM FIDELVM ATQVE OBE-  
DIENTEM,  
FELICITATEM OMNIGENAM  
PERENNANTEM,  
PIETATE IPSI DEBITA,  
SUMMA CUM RELIGIONE,  
HUMILLIMO SPIRITU,  
SUBJECTISSIMOQUE AFFECTU-  
VOVEO,

X 3

INSIMUL:

INSIMULQUE  
SERENISSIMO EJUS  
NOMINI  
IN ÆTERNAM OBSEQVENTISSIMÆ,  
ET  
SYMMORVM BENEFICIORVM HAVD OBLITVRÆ  
MENTIS ARRHAM,  
DEVOTISSIMÆ FIDEI SIGNVM,  
HVMIILLIMI OBSEQVII PIGNVS,  
MEI IPSIUS, MEORVMQVE STUDIO-  
RUM COMMENDATIONEM  
SUBJECTISSIMAM

DISSERTATIONEM

HANC

INAUGURALEM

DE

SIGNO PACIS,

EA, QUA PAR EST, SUBMISSIONE, ANIMIQUE  
SUBJECTIONE CONSECR.

GEORGIUS NICOLAUS APPOLD.



I. N. D. N. ꝑ. C.

## PRÆFATIO.

**D**oste àquam Licentiam summos in utrôque Jure Honores capeffendi, apud Magnificum Illustris Academiæ hujus Jctorum ordinem, eò, quò decet, modò ambire animum meum induxeram, adeòque de themate aliquò in Dissertatione *Inaugurali* proponendò diu satis cogitâram: plura aliameditanti, argumentum, à nemine, quod sciam, hactenus methodicè pertractatum, de SIGNO PACIS, von dem Burg & Frieden/arridebat maximè. Sanè BECHTIUS Magni Nominis Jctus, in *Dissertat. elegantissimâ*

A



*tissimâ de Securitate & salvô conductû, se pe-*  
*culiaribus tractatibus, von dem Gottes-Frie-*  
*den und Kirchen-Freyheiten / gefreyeten Höfen*  
*und Gent-Häusern / Burg-Frieden und Haus-*  
*Frieden acturum promiserat, atque utinam*  
*de his omnibus pleniùs, ut proposuerat sibi,*  
*egisset: interim cum Vir summus hæc ipsa*  
*themata suâ illustratione digna æstimârit;*  
*illud ipsum, quod agit von dem Burg-Frie-*  
*den / promereri vel maximè videbatur, quod*  
*in specimine Inaugurali pro viribus meis*  
*exiguis exponerem. Præmissis itaque in ca-*  
*pite primô Dissertationis hujus generaliori-*  
*bus, ac Rei ipsius Descriptione, in capite*  
*ejusdem secundô, Cuinam signi Pacis affi-*  
*xio competat, disquiram: in tertio Loca,*  
*quibus id ipsum præfigatur; & quartô Ef-*  
*fectus, Finem & Affinia proponam. Deus,*  
*Ter Optimus Maximus, in Cujus nomine*  
*ad omnia consilia omnesque actus semper*  
*progrediendum, propitius mihi adsit, atque*  
*id, quod suscepi laboris, omni ex parte se-*  
*cundet.*

CAPUT





## CAPUT PRIMUM.

*Generalia quaedam ac Rei ipsius Descriptio-  
nem proponens.*

§. I.



Um magna eruditionis vis la-  
teat in evolutione nominis, & hujus co-  
gnitio legitima nos ducat in cognitio-  
nem rerum sæpè accuratam: ne in re ipsâ  
deinceps hallucinemur, eorum, quæ circa  
notationem vocum, de *Signo Pacis* tractaturo, adductu  
necessaria visa fuere, brevissimis saltem, antequam ad spe-  
cialiora progrediar, mentionem faciam.

§. II.

SIGNUM itaque dicitur à *signare*. Signare autem  
est, signum rei ponere. Calvin. *in Lex Jurid. verb. signare*.  
Propriè tale est, quod ponitur, ut res aliqua, cum aliis con-  
fusa, ab iisdem dignosci possit. Aliquando etiam signum  
vocatur, quod suspenditur, pingitur, affigitur, ut rei cujus-  
dam notitia omnibus obveniat, atque ita usurpatur à no-  
bis. Non rarò tamen idem quoque notat, quod sigil-  
lum, de quò vid. Calvin. *d.l.*

§. III.

PACIS, rerum humanarum omnium exoptatissi-  
mæ, vocabulum descendit à pactione *l. r. pr. ff. de Pactis*.





Gothofred. *ibid.* in not. lit. R. & summam securitatem, vitæque quietem ac tranquillitatem perpetuam denotat.

§. IV.

Germanicum autem illud vocabulum, **Burg-Fried** unde derivetur, haud difficulter conjicitur: & quoniam varias admittit acceptiones, potiores adducere operæ pretium erit. Scilicet nominantur ita leges, pacta & statuta **ConDominatorum**, **derer GanErben** / alicujus Castri vel Burgi, quibus familiæ conservationem intendunt, & alienationem in externos prohibent, præprimis verò de pace & concordia invicem servandâ conveniunt: *vid.* Acta Lindav. fol. 142. sub fin. & fol. 939. Modestin. Pistor. vol. 1. cons. 21. & 22. Besold. in Thes. Pract. vocab. **Burg-Fried.** add. Wehner. in observ. Pract. vocab. eod. p. m. 85. Meichsner. Tom. 3. decis. 14. Quâ in acceptione verbo **Burg-Frieden** vel maximè æquipollet id, quod dicitur **Burghut**. Neque enim ulla præstantior arcium & Burgorum defensio, quam pax & mutua inter cohabitantes concordia cuiusvis propugnaculo præferenda. Speidel. in specul. Jurid. Polit. Philolog. & Historic. obs. vocabulo **Burghut**. p. m. 180.

§. V.

Interdum vox **Burg-Fried** sumitur *latius*, pro totò castri alicujus vel urbis territorio: *vid.* Besold. d. l. & Speidel. voc. **Burg-Fried**. p. m. 179. in verbis: Aber bey denen Städten und Märkten hat es eine andere Gestalt / die haben gemeiniglich auß Begnadigung des Fürsten / ihren außgezeugten vermärkten Bezirk / auß und umb die Städte / das heist man im **Burg-Frieden** &c. add. Wigel. Hundt im Bayerischen Stamm-Buch. fol. 399. interdum *angustius*.



*stius*, pro certō quōdam & determinatō securitatis locō, in quō pacis violationes acrioribus plectuntur poenis. v. *Be-sold. l. cit.* Killinger. *Tr. de Ganerb. discurs. 3. n. 55. & seqq.* Et sic ipsum quoque *Signum Pacis*, in securitatem loci suspendi solitum, de quō prærens nostra tractatio instituta est, Germanicè *Burg-Fried* DD. dici consuevit, & potest describi: quod sit ut plurimum **DEPICTA MANUS AMPUTATA, AB EO, CUI COMPETIT POTESTAS SANCTIFICANDI LOCUM ALIQUEM, SUSPensa, HUNC IN FINEM, QUO LOCUS ILLE TUTIOR REDDATUR, AC AB OMNI VIOLATIONE LIBERETUR.** *add. Speidel. l. cit.* Atque hoc ipsum signum Pacis, *der Burg-Fried* nonnullis dicitur *Salva Guardia* à Gallorum *Sauve garde*: & apud Goldast: in Statut. & Rescript. Imperial. in Constit. Frederici II. de ann. 1236. cap. 5. ordinationes quædam habentur *von dem Hand-Frieden* / quæ ipsa nihil aliud innuere videtur: quam quidem vocab. *Burg-Fried* / ab eō forsan denominationem hanc sortita, quod *Salvæ Guardia* violatoribus ut plurimum manus amputari soleat. Hæc in antecessum notasse sufficiat; sequitur

## CAPUT SECUNDUM:

de

*Personis quibus competit potestas affigendi  
signum Pacis.*

§. I.

**C**onsideratis generalioribus ad specialiora nunc trans-gredimur, ubi ante omnia, *Quisnam signum Pacis*

A 3

affigere



affigere vel suspendere possit, inquirendum atque evol-  
vendum duximus

§. II.

Nimirum Majestatis ac summæ in republicâ pote-  
statis esse, affigere vel suspendere *Signum Pacis*, in aprico  
est. Hinc cum in Imperio nostro Romano Germanico  
penes IMPERATOREM Majestas summa summæ-  
que potestatis plenitudo resideat: quod Imperator ne-  
minem non modo in his terris agnoscat superiorem;  
(id quod pro certissimo Majestatis indicio reputat Ipse  
Bodinus. *L. i. de Republ. c. 8. p. m. 126.* quando inquit:  
Is Majestatem habet, qui post Deum immortalem se ipsô  
majorem videt neminem,) verum etiam quod nemini  
unâ cum eô sive conjunctim, ut causæ sociæ, sive divisim,  
Majestas tanquam subjecto proprio competat; *Vid.* hanc  
in rem Magnif. & Excellentiss. Dn. Lyncker, Patronus,  
& quondam Præceptor, meus æternum venerandus, in *Anal.*  
*ad Jus publ. Schvveder. p. m. 19.* quotus quisque est, qui  
dubitare auserit, num Imperator locum quem, præ aliis,  
adversus omnes injurias, omnem vim, atque impetum  
effroenatiorem, statutis in transgressores gravioribus pœ-  
nis, firmare, atque adeo *Signum Pacis Den Burg-Frieden*  
præfigere valeat?

§. III.

Jam verò, ubi constat Imperatori vi Majestatis, quam  
independentem unus ac solus in imperiô habet, Reinking.  
*de Regim Sec. & Eccles. L. i. class. 2. c. 2. n. 53. p. m. 64.*  
Erectionem Signi Pacis denegari non posse; Hodiè au-  
tem cum omnia in imperio, quæ non ipsi cessere Impe-  
ratori, Statibus propria sunt: quorum in territoriis suis  
acquisito

acquisito juri Cæsar adeò præjudicare non potest ; ut  
 potiùs vi A. B. *tit. 13.* ipsis Electoribus, & cœteris Imperii  
 Principibus vi Capitul. Ferdinandi III. Ferdin. IV. LEO-  
 POLDI ac JOSEPHI *art. 3.* ad tuenda & conservanda  
 eorum privilegia ac jura adstringatur ; videtur necessa-  
 rium consequens, Imperatorem hoc jus Majestatis in locò  
 aliquò Imperii, prout jam nihil ferè de imperii bonis ipsi  
 relictum, sed hæc penè omnia in status transierunt, vix  
 exercere posse, præsertim cum Ipsimet Imperii status, vi  
 Supertoritatis Territorialis, jus illud suspendendi Signum  
 Pacis, ad analogiam Majestatis, habeant. Interim sicuti  
 Cæsar omnia pristina jura Majestatis, seu Regalia, ita &  
 hoc nostrum in universo imperio, indeque etiam in terri-  
 toriis statuum adhuc tenere suò modò dici potest. Habet  
 enim Cæsar jura illa in actu signato : habet exercitio sta-  
 rum, quod per Leges Imperii compositum ac ordina-  
 tum est : habet ex hinc, quod status illa teneant cum  
 recognitione beneficiariâ. *Dn. Lyncker in anal. ad  
 Schvveder. p. m. 27.* Hinc nec Majestas Imperatoris hanc  
 ob causam imminuta dici potest, nec Ipsi Uni, ceu Summo  
 Imperii Capiti, omnia ac singula Majestatis jura minùs  
 attribui debent : sicuti nec propter id, quod Imperator  
 non possit in præjudicium status alicujus Jus apertura in  
 ejusdem castro alteri concedere, Majestas Ejus attenuata  
 dicitur; *Wilhelm. Decker. de Jure Apertura Von dem öff-  
 nungs Recht/ c. V. aph. VI. & VII.* sed ipsi Soli ac Uni Jure  
 suò ac propriò in Imperio omnia Majestatis jura compe-  
 tunt, *Dan. Otto in 7. Publ. c. II.* non attentâ sententiâ  
 eorum, qui statibus quædam communicata perhibent.



§. IV.

Cæterum in provinciis suis hereditariis, in Regno  
puta Hungariæ, Bohemiar, Archiducatu Austriae, Invi-  
ctissimum Imperatorem nostrum, pro motu suo liberri-  
mo, locum, quemcunque velit, *Signo Pacis* munire ac  
inviolabilem reddere posse, extra omnem dubitationis  
aleam positum est.

§. V.

Progrediendô ad Electores, Coeterosque Imperii  
Principes devenimus, quos quidem ipsos *Signum Pacis*  
loco, cui velint, præfigere posse *supra §. 3.* statuimus. Cum  
enim illi omnes, tam Ecclesiastici, quam Seculares, in  
territoriis suis regiô quodam jure præfulgeant, nec mer-  
cenariâ amplius, aut temporariâ, uti olim sub Francorum  
Regibus exercent regimina: Dn. Fritsch. *in Tract. de*  
*Palat. Princ. c. VII.* sed jure propriô & perpetuô, con-  
cessio tamen jura sua habeant, provinciasque ac terras  
administrent; certè & *Signi Pacis* erectionem Eos sibi  
vindicare posse omni dubio caret.

§. VI.

Varia autem & insignia sunt, quæ Electoribus &  
Principibus jura competunt, nec tamen omnia superio-  
ritatis: sed alia etiam ex libertate eorundem descendere  
palàm est; sed & sunt, quæ statibus in genere ratione & vi  
Superioritatis Territorialis denegari nequeunt: cum tamen  
à Potentioribus magis conspicuâ virtute & efficaciâ exer-  
ceantur, speciale iis Jus, quod *Potentatus* dicimus consti-  
tuunt; ut taceam eximia illa privilegia, quæ Principes  
subinde donati ac condecorati conspiciuntur. *vid. Ma-*  
*gnificus Dn. Lyncker. in Dissertationibus Academicis, de*  
Supe-



Superioritate Territoriali, de Libertate Statuum, de his  
quæ perperam Libertati Statuum addicuntur, ut & de  
Potentatu. Inter ejus igitur generis, quæ ex Superio-  
ritate Territoriali profluere dicuntur, relatum; ac refe-  
rendum adhuc num est, JUS SUSPENDENDI vel  
AFFIGENDI SIGNUM PACIS, cum *Dn. Mylero*  
*ab Ehrenbach, de Stat. & Princip. Imp. Cap. de Constit. secur.*  
*publ. LII. p. m. 483.*

### §. VII.

Scilicet notum in vulgus ferè effatum est, & regula  
omnium in ore versatissima: QUANTUM IMPERA-  
TOR IN IMPERIO POTEST, TANTUM STA-  
TUS POSSUNT IN SUIIS TERRITORIIS: quod  
patrio idiomate ita explicare solemus: *Ein jeder Herr ist*  
*Kaysar in seinem Land.* Cui & similis vox Principibus Im-  
perii usitata est; EGO TIBI SUM IMPERATOR  
IN TERRITORIO MEO: *Schütz, de Statu R. R. vol. I.*  
*disp. VI. de potest. partic. & subord. thes. 15. p. m. 277.* *My-*  
*ler. d. tr. Cap. XIV. de Libert. Princip. §. 8. p. 111.* Sed va-  
gè nimis ac ambiguè illud dictum esse monstrat *Magnifi-*  
*cus Dn. Hertius, Professor Juris in hac Academiâ Ordinarius*  
*in Dissert. de Superioritate Territor. §. 8.* & captiosum a-  
xioma vocat *Myler. d. l. §. 10. p. m. 113.* quousque tamen id  
ipsum procedat admittique possit, solidissimè à *sapius*  
*Laudatô Dn. Lynckero in Diss. de Superioritate Territoriali*  
demonstratum reperies. Jam verò in antecedentibus  
probatum dedimus Imperatori Nostro affixionem *Signi*  
*Pacis*, ceu jus Majestaticum, demendam haud esse, quan-  
quam, ob præsentem rerum conditionem ac statum, il-  
lud in actum vix deducere valeat: quid igitur obstat, quo

B

minus



minus Electores, ac Principes Imperii reliqui, non quidem identitate potestatis specificâ, & ne quidem eodem potestatis genere; sed analogicâ quâdam, vi superioritatis in territoriis eorum ipsis competentis, potestate *Signum Pacis* suspendere valeant? Sanè sicut aliàs suò modò plus habet & potest Princeps, quam quidem ipse Cæsar, cum terras suas habeat jure patrimoniali, perpetuò, ac in posteros transitoriò, recipiatque insuper regionum suarum emolumenta plena: *Dn. Lyncker. in Dissertat. ante allegata sub lit. B. pag. m. 87.* ita & in hóc ipsò plus posse videtur Princeps, quod *signum Pacis* in suo territorio pro lubitu affigat, Ipse autem Cæsar, omnibus ferè Imperii bonis apud Status existentibus, non ob defectum juris ac potestatis, sed ob defectum subjecti recipientis, in Imperiò id non ita præcisè valeat, *Jung. §. 3. Cap. hujus secundi.*

### §. VIII.

Quando autem in §. proximè precedente Electoribus ac reliquis Imperii Principibus Jus suspendendi *signum Pacis*, tanquam jus aliquod ex Superioritate Territoriali iisdem competens asseruimus, non inde exclusas volumus Civitates Imperii Liberas, sed & illas *signum Pacis* affigere posse certi sumus. Neque enim ullum nostris temporibus, propter *art. 8. Instrum. Pac. Cæt. Succ, §. tam in.* superest dubium, quin pari ratione, quâ cœteri Status, Superioritate Territoriali, *der hohen Lands Obrigkeit* / ut ut nulla personali dignitate præditæ, gaudeant: nec moramur quidquam, quæ de juribus territorialibus iisdem dene-gandis movet Knichen. *in velitat. apologet.* cum ea satis abunde ab *Excellentissimis Juris Publici DD. Limneo, Reinkingio & aliis* refutata sint; Ut potiùs dicamus, quod  
jura





Jura territorialia sine dignitate regali, & vice versâ dignitas regalis sine juribus ejusmodi optimè consistere queat. *vid. Cluten. Syllog. rer. quotid. Th. 27. lit. C. Reinking. de Reg. sec. & Eccles. L. I. Class. V. C. V. n. 16. p. m. 613.* Ut adeo, cum Superioritas Territorialis Civitatibus denegari nequeat, nec jus suspendendi *signum Pacis* eis adimere liceat.

### §. IX.

Difficilior quæstio est, & magis ardua, an & Nobiles quoque Imperio immediatè subjecti jus affigendi *Signum Pacis* habeant? Supposuimus in prædictis, ut qui *Signum Pacis* affigere velit, aut Majestate, aut hujus æmula Superioritate Territoriali polleat. Illam frustra adscribi Nobilibus palàm est, hanc non neminem, sed & plures, iis tribuere adstruereque videas. Sic nominatim Reinking. *de Reg. sec. & Eccles. L. I. class. 5. cap. 3. num. 55. p. m. 559.* Bidenbach. *quæst. nob. 1. Burgoldens. p. 1, disp. 22. num. 5.* Maurit. *Dissertat. de Nobilit. German. Th. 49.* Schütz. *vol. 1. disp. 6. Th. 4. lit. E. Thes. 10. Lit. F. Dn. Myler. ab Ehrenb. de Stat. Imp. c. 36. §. ult. p. m. 337.* & alii, in Nobiles Imperii immediatos cadere posse dignitatem ac potestatem territorialem defendunt, & quod in Principibus *die Fürstliche hohe Lands = Obrigkeit* / in Civitatibus *die hohe Landes Obrigkeit* / idem in Nobilibus immediatis, *die hohe Adelige Obrigkeit* esse statuunt. Enim verò denegant Superioritatem Territorialem Nobilibus alii, inter quos Dn. Strauchium *Diss. exoter. 4. thes. 22. Rhet. in institut. Jur. Publ. L. I. Tit. XIX. de Nobil. §. 17. 18.* Ludolph. Hugon. *de Stat. Reg. Germ. c. 5. §. 5. & 6. Culpis: ad Monzamban. Cap. 2. deprehendes.* Et sanè vix tutò asseri videtur Su-



perioritatem Territorialem propriè dictam illis competere, talem scilicet, qualem Status Imperii, vi specialis sui axiomatis, quò Status sunt, sibi asserunt. Contra verò Nobiles ea solum in regionibus suis exercent, quæ illis vel per investituras, vel speciales concessionem vel longò usû, quem & in qualibet iurium specie probare necesse habent, obvenerunt; ac proinde quicquid possunt, non tam ex ipso territorii jure educitur, quàm potius in territorio ex concessione extrinsecâ exercetur. *Dn. Lyncker, in Dissert. de Religione Obsequii aph. XIV.* Certè cum Status non sint: *Carpz. ad L. R. c. 3. Sect. XII. num. 29. p. m. 237.* *Sixtin. de Regal. L. 1. c. 4. num. 50.* frustra Superioritatem Territorialem, essentialè Statuum consecutivum, *v. Excellentiss. Dn. Schveder, in introduct. ad Ius Publ. p. spec. Sect. 2. c. 1. §. 3. & 10.* iis quis asseruerit: Cumque hæc ipsâ destituantur, neque jura, quæ exercent ex Superioritate propriè tali exercere dici possunt; adeòque nec Signum Pacis vi illius affigere poterunt: etsi uni vel alteri id specialiter concessum esse, aut ab antiquo licere potest.

## CAPUT TERTIUM.

De

*Locis, quibus Signum Pacis præfigi potest.*

§. I.

**J**ure communi loca quædam sancta dicuntur, quæ ita JLL. sacrata, ut inviolabilia esse debeant, siquidem sanctatione, obtestatione, vel poenis consecrata. Sic muri & portæ civitatum, quod illas transcendere non liceat, sanctæ



ctæ habentur. *§. sanctæ Inst. de Rer. divis.* Sicut igitur olim penes summam potestatem, ut res aliqua sancta haberetur, existit, ita & hodiernum id ipsum in arbitrio summi imperantis, uti *cap. preced.* ostensum, consistit. Solent tamen ut plurimum Magnates ac Principes palatiis suis, arcibusque, quas inhabitant, an *Ihren Residenzien und Schlössern* / *Signum & Inscriptionem Pacis publicæ* præfigere, quò loca ista sanctificentur magis, ac ab omni injuria scelereque immuniore reddantur. *Dn Myler. alleg. sep. tr. c. LII. de constit. publ. Securit. §. 1. p. m. 483. Harprecht. ad Inst. §. 10. de R. Div. n. 22.*

## §. II.

Equidem summa securitas Principi, ubicunque degat, debetur, Ejusque præsentia omnibus in locis sacro sancta ac inviolabilis jure meritòque habetur. Hinc & securitatem Illius non minori severitate, quam quidem ipsius reipublicæ, Jura nostra sanciant, *vid. l. ult. ff. ad Leg. Jul. Majestat.* nec immeritò. Nam Princeps maximam in republicâ tenet auctoritatem, cui resistere nefas ac flagitiosum; Imò spernere Majestatem nihil aliud est, quam sanctam Dei imaginem contemnere, & sacram civitatis personam violare. *Becht. in proæm. laudat. Dissertat. de securitat. & salv. cond. class. 1. de Securit. Legal. person. publicâ potestate corruscant. Th. CXXI.* Itaque Imperator omnigenam securitatem, quâquâ verum individuum habet comitem, ita ut Majestatis suæ splendore omnes omninò insidiarum, offensionum, violentiarum nebulas discutiat atque dispellat, & quâcunque transiturus salvum conductum à Statibus requirere necesse non habeat, ut vulgò rectè dicatur: *Kaysersl. Majestat seye des Beleitens nicht hoch*



Hoch benöthiget! Sie bringe das Geleit mit sich. Becht, dict.  
disput, class. ead. Th. CLIV.

§. III.

Quæ cum ita sint, vel maximè Imperator tutus ac inviolabilis erit in suò Palatiò, etiamsi vel *Signum Pacis* nullum præfixum fuerit. Similiter & omnes Principes ac territoriorum Domini reliqui, ob eam, quâ pollent, dignitatem, eminentiam ac potestatem ubivis, maximè in suis provinciis, & arcibus, specialiter licet *Signo Pacis* affixo haud munitis, inviolabili quâdam securitate plenissimè vallati sunt.

§. IV.

Hoc igitur inviolabilitatis privilegio gaudent Palatia Principum & Statuum Imperii sui naturâ, ac per se, si-ve quid pro signo Pacis adscriptum fuerit, si-ve non. *DM. Myler. c. LII. de const. sec. publ. §. 5. p. m. 486.* Imò & alibi degens Princeps, locum reddit inviolabilem, ut supra dictum: Nam ubi Princeps, ibi securitas: & ubicunque demum consistit, ibi residere & curiam tenere videtur, ut rectè Galli proverbialiter dicant: *Le Roy est toujours à la Cour.*

§. V.

Certè omnimodam securitatem habitare æquum est in ædibus illius, qui de tranquillitate & quiete totius reipublicæ dies noctesque sollicitè curat, cum (ut eleganter Cicero in Orat. pro domo suâ scribit his verbis: *Quid est sanctius, quid omni religione munitius, quam domus unius cujusq; civium, hic ara sunt, hic foci, hinc Dii Penates, hinc sacra, religiones, ceremonia continentur: hoc perfugium est*



est ita sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit, domus etiam privata suum cuique tutissimum sit receptaculum l. 18 ff. de in jus voc. Et quando Romani tantam domibus civium suorum securitatem ac praesidium tribuunt, quid non de palatiis Principum praedicemus? quanto enim illustrius praes subditorum coetu Persona Principis sacratissima eminent, tanto sublimiora quoque jura domui Ipsius praes civium habitationibus competent.

### §. VI.

Hæc autem summa securitas ut in palatiis suis vigeret, olim Principes ne armatum quidem ea ingredi patiebantur. vid. II. Feud. 27. §. 6. Quod quidem ipsum ut in aliquibus aulis adhuc fervetur, vid. Tabor. in Armentar. Just. in splendidissimis tamen Germaniæ nostræ aulis ministros non modo honoratiores, sed etiam qui corporis & arcis custodiam sustinent, imò extraneos quosque gladiis accinctos subinde comparere videmus, severissimè interim armorum in iisdem abusû interdictione.

### §. VII.

De cæterò utut vel maximè Palatia Principalia in se inviolabilia sint: majoris tamen tranquillitatis ergò, & ad deterrendum unumquemque à temerariâ violatione arcium, his ipsis Principes *Signum Pacis* rectè affigunt.

### §. VIII.

Quod autem in §. cap. hujus 1. *Locum quemcunque* pro arbitrio Principis *Signo Pacis* muniri posse asseruimus, id omni dubio caret. Cum enim in quâvis benè constitutâ Republicâ omnibus in locis tranquillitas esse debeat:



debeat: nūl repugnat, quo minū, pro summi Imperantis placitō, uni alterive loco specialior ac major quædam securitas impertiri possit. Sic non modo Palatia propriè & strictè sic dicta, id est, propriæ habitationi aulæque Principis dicata, sed &, quibus in sensu laxiori nomen idem attribui potest, ubi Consilarii Principum quotidie convenire solent, domus videlicet Regiminum, Consistoriorum die Fürstlichen Cankleien / & alia Dicasteria: Curia insuper civitatum die Raht-Häuser / domusque judiciorum inferiorum die Amts-Häuser / *Signo Pacis* muniri possunt. Sic & collegiis publicis in Academiis, Gymnasiis, locisque corporis exercitiis destinatis illud præfigi potest: Imò, quod magis est, aliquando domus privatorum securitate hâc peculiariter donatæ reperiuntur.

### §. IX.

Et singulare est, quod Francofurti in turri prope pontem Moeno impositum conspicitur. In eò namque *Signum Pacis* depictum & in ipsius quidem *signi* alterò latere, figuram cujusdam verberibus alium probè excipientis, cum inscriptione: *Wer dieser Brücken Freyheit bricht;* in alterò autem depictam manum amputatam, cum additamento: *Dem wird seine frevele Hand gericht; observare licet.*



CAPUT



# CAPUT QUARTUM

De

*Effectibus, Fine, atq; Affinibus Signi  
Pacis.*

§. I.

**E**ffectus Signi Pacis sunt, quod sanctificetur locus ille; cui id ipsum affixum, & ab omni violatione immunis reddatur; quod obliget omnes ad pacem in ejusmodi loco servandam, sive sint subditi perpetui, sive temporarii, ad instar legis toti territorio, omnes inibi commorantes comprehendenti, latae. Denique & id efficit, ut, ubi forsan quis contra securitatem loci privilegiati quid attentaverit, gravius peccasse, adeoque graviori poenâ dignus censeatur.

§. II.

Ut itaque loco privilegiato sua constet securitas, nemini omninô licitum in eodem alterum gladiô vel aliô telô aggredi, imo ne alapam alteri infligere, aut minari manuum levatione permissum est. Poena, quæ transgressoribus ut plurimum dictari solet, est *Manus Amputatio*: sicut id per figuram in ipsô Signô Pacis plerumque expressam indicatur, atque aliquando etiam expressâ lege cavetur. Sic enim in Statutis *Wilhelmi Scotiæ Regis*, testibus *Besoldo & Speidelio vocab. Burg: Fried/* legitur. *Si quis traxerit cultellum ad alium in curia Regis, percutiatur per medium manus ejus; & si extraxerit sanguinem abscindatur manus ejus &c.* Sic & *Pompejus Columna* manuum detruncari equiti *Neapolitano* fecit, cum ex jurgio gladium,

C

dium,

UT





dium, in atrius domus suæ, in caput altercantis sine vulnere strinxisset; atque pœnam deprecantibus amicorum præcipuis, nî ita faceret, velut alitâ auctâq, audaciâ non defuturum respondit, qui cubiculo suo ferrum inferre, & ad cadem enudare non dubitaret, referente ex Clapmar. de arcan. rerum publicar. L. 4. c. 13. Dn. Joh. Alex. Christio Scabino Lipsiensi in Dissertat. Acad. de Admenatione.

### §. III.

Ulteriùs hanc manus amputationem pacis Burgen-  
sis violatori dictatam esse probat Carpzov. p. IV. const. 13.  
def. 9. adductâ aliquâ sententiâ, quæ contra A. à R. zu Al-  
tenburg Mens. Septembr. 1596. pronunciata fuit, verba sic  
habent: So möchte er von wegen solches in der Fürstlichen  
Burg begangenen Frevels / und daß er H. à B. mit dem  
Dolche gestochen / mit Abhauung einer Faust / dero er am  
besten entrathen kann / des Landes ewig billich verwiesen wer-  
den. B. R. W. Et Autor Dissertat. de admenat. ante  
citata, ac sub Presidio Dn. Christii ventilata, se in Saxo-  
niâ inferiori Ratzeburgi in arce abscissas quasdam manus  
patinæ impositas vidisse refert : quas violatæ pacis Bur-  
gen-  
sis causa detruncatas, & in memoriam rei turris mu-  
ro inclusas fuisse dixerunt incolæ. Atque hanc pœnam  
praxin Imperii etiamnum servare tradit Dn. Myler. alleg.  
sep. tr. de Princip. & Stat. Imp. c. 52. de constit. publ. secu-  
rit. §. 9. p. m. 489.

### §. IV.

Planè aliquando capitalis poena imponi potest: pro-  
ut nimirum circumstantiæ delictum commissum aggra-  
vantes occurrunt. Sic capitis pœnam cuidam suô tem-  
pore dictatam scribit Chassanæus, in Catal. glor. mund. p. 5.  
confid.





confid. 24. n. 125. Cujus sequentia verba apponi merentur: Hinc videmus Palatia Principum talem importare securitatem, ut offendentes aliquem in illis capitaliter puniantur: Et istud observatur in omnibus palatiis, etiam Summi Pontificis, qui tamen præ aliis misericordiâ uti debet. Et vidi Bononia, tempore Julii Papa, cum exercitus Christianissimi Regis Francorum Ludov. XII. captâ Bononiâ, & dicto Julio liberè restituta, recessisset: Ibi plures Galli commorati sunt pro obtinendis certis dispensationibus, concessis per ipsum Julium in recompensam servitiorum. Et ibi ipse remansi, à Festo S. Martini Hyemalis ad Epiphaniam Domini subsequentem, in prosecutione Cardinalatus Domini Ludovici Damboise, Fratris Germani, Illustris Domini, Domini Caroli Ambasiaci Magni Magistrî Francia, Locum tenentis Generalis in Italia, pro ipso Rege Ludovico, cujus tunc auditor eram: & hâc occasione facilis accessus mihi patebat ad ipsum Julium. Et inter alios cum remansisset ibi quidam Gallus ex comitiva Domini de la Pallicæ, qui alapam dederat cuidam in Palatio Papa, & statim fuit captus à birreriis, & ductus ad prepositum qui ad mandatum Papa illum furcâ suspendi facere volebat, & nisi pro certo citò ad Papam accurrissem pro obtinendâ ejus gratiâ, suspensus fuisset solum pro alapâ illâ, eò quia dicebat in suo Palatiò omnem securitatem debere esse. Quo in casu quidem severum nimis mandatum illud, quod contra delinquentem executioni dari Pontifex voluerat, rectè omnino postmodùm revocatum fuisse judicamus: neque enim facilè tam rigorosa poena in violatores locorum privilegiatorum, nisi prægnantissimæ rationes id exigant, decernenda videtur. Interim apud Jovium L. 25. historiar. aliud ejusdem farinae exemplum occurrit. Nam refert ille, Alemannum, præcipitis

lvere  
ipuis,  
m re-  
nuda-  
rerum  
psiensis  
  
argen-  
st. 13.  
u Ma  
rba sic  
tlichen  
ie dem  
er am  
n vero  
ante  
Saxo-  
nanus  
s Bur-  
is mu-  
enam  
alleg-  
secu-  
  
t: pro-  
aggra-  
otem-  
nd. p. s.  
confid.



capitis audacia juvenem, capite plexum esse, quod in Leonhardum Ginorium honestum Civem, modestiam ab ipso requirentem, in ipso curia limine ferrum strinxisset; quò in loco, lege latâ, nefas erat, etiam arma adversus quem nudare, aut tumultuari. Idque factum cum Summi Magistratus Majestatem lesisse censeretur, nec ille amens, & exitiali superbia tumens, curia arcâ excedere vellet, decuriones ad congruam severitatem perpulisse: apud quos Balthasar Carducius ex civilis juris lenitate tutari reum frustra fuerit conatus: cum Alemannus in superiore curia tabulato capitali supplicio denique affectus sit. Et haud ita pridem non neminem, qui in Potentissimi Electoris Brandenburgici Palatio militi arrestum sibi denunciante sese opposuerat, sclopetoque contra illum explosò, graviter eundem vulnerârat, vel maximè propter violatam pacem ac securitatem Augustissimi Palatii Electoralis capite plexum fuisse accepimus.

S. V.

Sed nec prædicta manus amputatio semper ac omnî pacis turbatori in distinctè dictatur, ut potiùs pro ratione circumstantiarum, vel etiam gratiâ Principis mitior poena non rarò in delinquentem statuatur. Sic multâ aliquando pecuniariâ, carcere, vel etiam, si contra Arcis securitatem admissum quid sit, aliis aulicis castigationibus transgressores puniuntur: nonnunquam etiam relegantur, prout hoc ipsum iterum ex sententiâ quâdam contra N.N. zu Dresden Mens. Maj. 1609. latâ adstruit Carpzov. loc. supra cit. Verba sententiae ita se habent: So wûrde ihm wegen solcher in der Fürstlichen Freyheit begangener Verbrechen in dem Gefängniß billich ein Stock = Schilling



ling gegeben / und Er darauff des Landes ewig verwiesen /  
B. X. B. Temporalem quoque relegationem indi-  
ctam fuisse cuidam, qui in arce Liechtenbergensi co-  
quum pulsaverat, ad consultationem Pauli Seyfrieds/  
M. Julio. Anno 1614. testatur Carpzov. *Prax. Crim. p. 1.*  
*qu. 40. num. 35.*

§. VI.

Atque ad dictandas has poenas justissimè legumla-  
tores commoventur: Qui enim securitatem arcis prin-  
cipalis, vel alterius cujusdam loci, cui *Signum Pacis* præ-  
fixum cernitur, violat, ipsum Principem contemnere ac  
vilipendere videtur. *Dn. Myler. de Stat. Imp. c. 52. p. 484.*  
Quid autem naturæ rerum convenientius, quam ut con-  
trariorum contraria sit ratio, ut scilicet despectus princi-  
pis debitis coërceatur modis, quemadmodùm è contra-  
riò reverentia erga Superiores laude ac præmiis decora-  
tur. Et quis ignorat violentam aggressionem proximi,  
quam nec dictamen rationis probat, in quòcunque locò  
factam graviter puniendam? hinc difficile haud est con-  
cludere porrò, quàm in tempestiva ac detestanda prorsus  
sit excandescencia in Palatiò, aut aliò locò sanctò, quod-  
que severius multò animadvertendum sit in eum, qui in  
hisce locis proximo suo vim infert, quam quidem qui a-  
libi iracundiæ furorem dominari permittat. Ut adeò  
nec duras nimium aut planè injustas quis dixerit poenas,  
hactenùs contra violatores locorum privilegiatorum  
exerceri solitas.

§. VII.

Hucusque de ipsà *actuali lesione* Pacis, quam vocant,  
Burgensis: nunc quaeritur an & is, qui alterum actualiter



non percutit aut offendit, sed saltem in locô sanctô ad duellum *provocat*, securitatem loci, den Burg & Frieden/ violâsse censendus sit, adeoque poenam violatæ pacis incurrat? *Negat* Aloys. Riccius *p. 3. dec. 50.* eô quod in odiosis verba constitutionis propriè sint accipienda. *l. 42. ff. de pœnis l. 1. §. 20. ff. de exercit. act. c. 49. in pœn. de R. Jur. in sexto. c. 15. odia. eod.* Enimvero & sola provocatione pacem violari, & reum ordinaria poena affici posse verius videtur: modo ad duellum in locô sanctô prope diem suscipiendum ea facta fuerit: nec reus poenitentiam ductus, sed extrinsecus impeditus certamen ipsum non susceperit; ut sic non quamvis compellationem seu conventionem de loco, ubi certamen ejusmodi singulare partes inire velint, intelligamus. Sicut nec eò usque assertum nostrum extendimus, ut & eum, qui in confinio palatii, aut in atrio loci sancti ad duellum provocat, poenam fractæ pacis ordinariam plectendum censeamus. Quamvis enim securitatem illam omnimodam ad confinia quoque Palatiorum DD. extendant: *vid. Chassan. loc. superius cit. §. & non solum &c.* ubi poenam quorundam, qui in exitu Palatii Parisiensis armis abusi erant, recenset; Hæc tamen explicatio & interpretatio DD. non nisi de ipsâ actuali læsione intelligenda, nec ad provocationem extendenda. In casu itaque, quô in confinio arcis principalis alter alterum provocare ausus est, fractam posse dici pacem Burgensem non putamus.

### §. VIII.

Sed & ulterius controversitur, an violationis poenam sentire debeat, qui alterum in locô sanctô gladio non læsit, sed hunc modô strinxit, nec manû pulsavit, sed  
saltem



saltem ad pulsandum levavit. Et certè hic animum nocendi apertius prodit, quam nudè provocans, adeoque pacem turbasse, ac loci sanctitatem contaminasse rectè dicitur, proindeque poenâ ordinariâ, ut afficiatur, dignissimus existit. *vid. Dn. Myler. alleg. sep. tr. c. 52. §. 9. Fritsch. de Palat. Princ. c. 12. num. 4. CZ. pr. Crim. qu. 40. p. 1. n. 32. & 33. Vitriar. in institut. juris Publ. tit. 17. §. 10. p. m. 489.* qui omnes statuunt: **Daß wann einer in denen Residenzien nur die Hand zum Schlagen auffhebe / so seye der Burg Fried gebrochen / & praxin quoque Imp. Rom. German. huic asserto conformem esse attestantur.**

#### §. IX.

Illud non est prætereundum, quod nonnulli per furtum quoque in aulâ vel alio loco privilegiato perpetratum pacem frangi, & securitatem loci contaminari existiment. Sanè de furtô in aulâ commissô Responsum Facult. Jurid. Argentorat. Mens. sept. 1641. ad requisitionem Serenissimi Principis cujusdam HASSIACI exaratum exstat apud Tabor. *vol. 2. tractat. p. 260.* hunc *in modum*: **Vors andere wann schon diese beyde von N. verübte Diebstähle nicht vor groß und gefährlich zu achten wären / wie sie gleichwohl sind / würde doch die Maleficanin wegen des Orts / darinnen die Missethat begangen / zum höchsten beschwert / und in die Lebens = Straffe völlig zu urtheilen sein / dann da bringet die peinliche Klage art. 5. 6. & 7. mit sich / daß die inhafterte in dem Fürstl. Residenz = Schloß N. N. auß der Fürstl. Licht = oder Silber = Kammer / und also auß einem privilegierten / und hochbefreyeten Orte / ob specificirte 6. Stücke / die sämpth. mit dem Fürstl. Wappen und Nahmen gezieret gewesen / gestohlen und entfrembdet / und**  
Dardurch

Dadurch den Burg-Frieden geschmälert / und gebrochen habe. Ast diffitendum quidem non est, furtum rectè dici magnum, & mortis poenâ dignum, si in aliquo loco publico, aut privilegiato, putâ in palatio Principis commissum sit: *vid. l. 16. §. 4. ff. de poen.* quod & præjudicio notabili, furis scilicet cujusdam, qui crumenam 60. solidis refertam in Camerâ Parlamenti tantùm præciderat, ac ob id ipsum 22. Januar. anno 1549. per Parlamentum Parisiense ad furcam condemnatus fuerat, confirmat Papon. *ad Jus Francic. L. 23. tit. 6. arresto 1.* pacem tamen Burgensem, licet cum vi & effractione fiat, per furtum violari non nisi impropriè dicitur. Propriè namque saltem ad securitatem personarum pax illa palatiorum, & impropriè duntaxat, aut aliquò modò, ad securitatem rerum respicere videtur.

§. X.

Quod reliquum est præmeditata debet esse pacis violatio; adeoque requiritur ut quis dolosè, præmeditatè alterum injustè aggressus fuerit, ut ordinariâ poenâ fractæ pacis plecti possit. Hinc injuriæ propulsatio terminum vel limitem non agnoscit, *arg. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Riccius *decis. 245. p. 3.* etiam in loco sanctione quâdam munito: *an einem Dree / da der Burg-Frieden angeschlagen.* Neque enim omnis ibi delinquens, id est aliquem vulnerans vel morte vel manus mutilatione puniri debet, sed qui id fecerit dolo: nam corpus humanum utpote templum Spiritûs S. dignius semper est loco omni, utcunque sacro vel sanctione munito. *Besold. sub vocab. Burg-Fried / add. Speidel. sub eod. p. m. 180.* Quare defendens se in palatiô principali, aut locò securitate publica

câ donatô, & aggressori pugnô aut gladiô resistens, *Pacem* vel *Salvâ Guardiam* violâsse dici nequit, modô defensio facta sit *in continenti*: hâc enim ratione vim vi repellere licere notissimi juris est, nihilque justius, quam ut violentia, quæ nobis ab altero in justè infertur quôvis modo propellatur. Quicumque tamen in tali loco insultatus sese defendendô moderamen inculpatae tutelæ excessit, in excessu puniri potest ac debet. *argum. l. 38. §. 8. ff. ad Leg. Jul. de adulter. Schneidew. ad §. 1. Inst. de J. N. G. & Civ. Dn. Myler. cap. sep. cit. §. 4. p. m. 485.*

§. XI.

*Hæc de Effectibus. Finis signi Pacis* ex dictis patet, & est sine dubiô, ut loca in se & suâ naturâ inviolabilia sanctiora reddantur, quæ autem talia non sunt, summâ deinceps securitate ac tranquillitate gaudeant.

§. XII.

Tandem subjungimus, quæ *signo Pacis Affinia* videntur. Talismodi reputamus, quando Princeps ea etiam loca, quæ suo delectamento ac usui unicè destinata vult, contra privatorum læsiones ac deteriorationes, *signo aliquo* tuta reddit. Hinc arborum quandoque, in delectationem Principis vel ornamentum urbis plantatarum, læsionem, *signo amputatae manûs erectô*, gravissimè aliquibus in locis prohibitam deprehendes. Imò & certa itinera viasque per sylvas ac nemora Principes nonnunquam, *signo abscissa manûs suspensô*, privatorum usui eximunt, ne scilicet feræ aut volucres, quas ibi fovent, terreantur aut plane abigantur. Quæ quidem ipsa Principem optimô jure facere posse, non est, quod ambigamus.



§. XIII.

Et hæc sunt quæ de Signo Pacis pro ingenii tenuitate, in Dissertatione hæc Inaugurali, proponere licuit. TU autem IMMORTALIS ac BENIGNISSIME DEUS SUSPENDE SIGNUM PACIS UNIVERSALIS, atque animos Maximorum in Europâ Principum contra se invicem vehementissimè concitatos in concordiam rursus inclina: ut periculosissimò bellò hõc adhuc gliscente Germania, communis Patria nostra, per Divinam Gratiam Tuam quamprimùm liberata, in summâ deinceps tranquillitate pacis bonis æternùm fruatur. TIBI etiam, quod studiis hæcenus nostris ex altò benedixeris, humilissimas decernimus grates, supplicem in modum rogantes: secundes eadem in posterum, &, quidquid per omnem vitæ nostræ cursum cœperimus, reliq; faustumque esse, ac in Divini Nominis Tui gloriam cedere, jubeas.

F I N I S.



COROLLARIA.

I.

**I**MPERATOR Statibus Imperii dissentientibus aliquando ex plenitudine potestatis potest decidere.

II. Princeps Imperii alium Principem in territorio suo delinquentem punire nequit.

III. Feudorum origo, incerta planè, nulli præcisè genti potest adscribi.

IV. Thesaurus in fundo feudali repertus ad vasallum & inventorem, excluso Dominò, pertinet.

V. Sponsiones, *Wettungen* non sunt illicitæ.

VI. Contra Sententiam ex falsis testimoniis latam datur Restitutio in integrum.





**J**ena instauravit, perfecit *Lipsia* Dotes  
APPOLDE, egregias, quas TIBI Jova dedit.  
*Giessa* dat & complet, quod defuit; addit Honores,  
Quos poscit Virtus, promeruitque labor.  
Gratulor ex animo! fausto omine plura sequantur!  
Et TIBI pro merito pulchra Corolla datur.

*Hac Clarissimo DN. CANDIDATO Convictori suo  
suavissimo gratulabundus apposuit*

FRIDERICUS NITZSCHIIUS, Ph. & J.U.D.  
Com. Pal. Cæs. Consiliar. Hass. & P.P.

**S**ignum, APPOLDE, tuum pacis dat signa politæ  
Doctrinæ, nec non indolis egregiæ.  
Inde feres meritò præclara insignia honoris,  
Fausta velit jubeat quæ Deus esse TIBI.

*Nobilissimo, Ornatissimoq; DN. CANDIDATO l.mq;  
apposuit*

JOH. NICOLAUS HERTIUS,  
J.U.D. & Prof. Publ.

**H**oc Pacis Signum varios APPOLDE labores  
Signat, & applausus Te meruisse probat.  
Gaude laud. Tuâ: Poterit Respublica certò  
In Tibi credendâ perbene parte regi.

*In honorem*

*DN. CANDIDATI BENEMERITISSIMI,  
cum omnigena felicitatis voto adjecit*

BERNH. LUDOVICUS MOLLENBECIUS D.  
& Prof. Ord.

Quis

AKTK 2886

**Q**uis Tibi sit Genius, quæ Mens APPOLDE Polite,  
Satque superque docent, hæc documenta Tua.  
Unde Tibi merito Tituli traduntur honorum;  
Nec deerunt meritis, munera digna Tuis.  
Accinimus laudi quotquot sale vescimur uno:  
Approbet ulterius singula facta Deus!

*Ita Nobilissimo ac Praclarè Docto Domino CANDI-  
DATO gratulabundi applaudere voluere*

COMMENSALES.



**S**ückselig ist der Mensch / bey dem die Tugend blühet /  
Und der auff Weisheit hat sein ganzes Thun gestellt :  
Drum wohl Ihm / wehrter Freund ! weil Er sich hat bemühet /  
Daß Ihm auch solches Lob geb' die gelährte Welt ;  
So wird die Themis Ihn mit solchen Blumen zieren /  
Die keine Zeit befleckt / die unverwelcket stehn :  
Selbst Fama will sein Nahm bis zu den Sternen führen /  
Damit die Nach: Welt auch denselben möge sehn.  
Der Himmel mehr hinfort in Ihm der Tugend Glammen /  
Er halte Ihn vergnügt in selbst erwünschter Ruh /  
Er häfft das Glück vest mit Ihm / Mein Freund / zusammen /  
Es weh' Ihm dessen Gunst Zibeth und Ambra zu.

Mit diesen geringen Zeilen / wolte seine Schuldigkeit  
gegen den Herrn Candidaten bezeigen

Dessen gehorsambster Diener

J. G. Baur von Eiseneck.

l. N. D.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue 3/Color Black

Cyan 3/Color

Green 3/Color

Yellow 3/Color

Red 3/Color

Magenta 3/Color

White 3/Color

